PAVPER IN DIVITIIS
DIVES IN PAVPERTATE

ORATIO
DE S. IVONE
PAVPERVM PATRONO


Habita

AD EMINENTISS. S. R. E. CARDINALES

A IOSEPHO AEGIDIO POLITIANO

SEM. ROM. CLER.

34-6-E-7-



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Romæ, Typis Ignatij de Lazaris, 1662.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

EMINENTISS. AC REVER. PRINCIPI

ANTONIO

CARD. BARBERINO

S. R. E. CAMERARIO.

IOSEPH AEGIDIVS FEL.

AD oris tui patrocinium confugit Eminentiſsime Princeps hæc mea oratio, lucem publicam, vt mos eſt, aditura, cuius beneficio Orator

ipſe Romanam auram trahit, Romanæq; Palladis educatione perfruitur; Vnde primitiæ fructuum tibi potiſsimum debentur, qui arborem ipſam tua colis munificentia, tuæque benignitatis afflatu foues, ac recreas: mei verò tenuitas ampliorem non poteſt addictiſsimæ voluntatis ſignificationem tibi proferre, quàm ingenij obſequium, quod licet exiguum, præſtantiſsimæ tamen facultatis obſequium eſt. Vale.

ORA-

82

ORATIO.

DIVITEM, ac pauperem admirata eſt rerum vniuerſitas in eo, qui Deus, & homo diuitias Diuinitatis cum paupertate noſtræ mortalitatis nodo deuinxit indiſſolubili. Admiremur & nos PP. Eminentiſsimi non infinitæ quidem opulentiæ cum ægeſtate creatæ naturæ inenodabilem coniunctionem, ſed quantum fas eſt in ſolo homine, admiremur inquam IVONEM Pauperem in diuitijs, diuitem in paupertate. Opes Naturæ ſunt nobilitas ſanguinis, & familiæ dignitas; opes ingenij, parta labore ac ſtudio, ſapientia; Opes fortunæ, vires corporis, & opulentia cenſus: cumulabatur his opibus IVO, & ob maiorum illuſtrium claritatem, & ob ſingularem induſtriam,

ſtriam, qua & Pariſijs, & Aureliæ eximiam iuriſprudentiam, ſacrarumque literarum notitiam ſibi comparauerat, & ex auito patrimonio ſuis etiam ingenuis laboribus in dies aucto. Inter haſce diuitias, quam in ſe paupertatem exercuerit rerum omnium indigetem, IVO ſibi pauperrimus, qua referam eloquentia, cum aſſequi cogitatione non poſsim? Inſpicite menſam IVONIS; ieiunam illi, ac famelicam, & vix meræ neceſsitati ſuppetentem admirabimini; cæteris verò opiparis refertam dapibus, & voluptatis etiam lenocinijs opulentam; ſed tunc menſæ non aſſidebat, vt Dominus IVO, ſed miniſtrabat, vt ſeruus, ſua iam paupertate ſatur, & ieiunij delicijs abundè paſtus. An lectum, vbi ſomnum herus capiat queritis in IVONIS Domo? Plurimos enim verò, ac molliſsime ſtratos reperietis, ſed pauperibus; vt ſola paupertas IVONIS diuitijs perfruatur; IVONI verò nihil ad quietem paratum deprehendetis, niſi nudum pauimentum, eo certè ſibi mollius, ac iucundius quo frequentius pauperum veſtigijs terebatur: At, ne lecto paupertate conſtrato par ceruical deeſſet, ſacra Biblia capiti ſupponebat IVO; decebat enim, vt caput illud quieſceret in cœli delicijs, cuius membra relaxabantur in ſinu Paupertatis, Cæli diuitijs opulentiſsimæ. Libet ne cultum corporis in IVONE cognoſcere? nudato incedentem capite ſpectabitis hominem detracto ſibi, conceſſoque pauperi pileo, ſed tunc auguſtiore præcinctum coronâ, paupertatis, & caritatis diuitijs

in-

intertexta; diuitias capitis imitantur Indumenti deliciæ, horridum nempe ſetis cilitium corpori non tam admotum, quam affixum, quod auida pænarum membra mulceret, & ægeſtatis mitigaret ardorem. Subeamus tandem animo IVONIS Domum, diuitem ſuppelleƈtilem, copioſam annonam, diuitiarum affluentiam intuebimur, ſed hæc omnia ſolis pauperibus deſtinata nihil IVONI, vt incredibili planè miraculo rerum inuerſus ordo ſub teƈto IVONIS appareat, inane diuitiarum dominium in IVONE, integer vſus fruƈtus in pauperibus: Contra verò paupertatis dominium in ægenis, paupertatis vſus fruƈtus integer in IVONE; Et mirabimur, ſi Pater pauperum Deus voluerit ſub ſpecie mendiculi cum IVONE familiaris conuiua, & affuſæ diuinitatis præſentia cumulare diuitias IVONIANÆ paupertatis? Si panis fruſtulum in IVONIS manibus alendæ copioſæ inopum multitudini ſatis ſuperque ſuffecerit, & ipſam miſerorum indigentiam reddiderit omnipotentiæ diuitijs affluentem, ſi non ſolum ſua ſed ſemetipſum exutus IVO vere pauper corpore, & Spiritu, diuinæ virtutis ditiſsimus mirabiliter euaſerit, eiuſque Imperantis præſentiam ſenſerit incendium immaniſsimum, fraƈtoque impetu ſeſe domuerit indomitum elementum, ſi etiam ignis æmulus, inundantium aquarum incurſus, IVONIS pedibus viam aperuerit, pauperis IVONIS veſtigio antiquæ legis miraculis famulantibus. At non ſua ſolum, ſibi pauper IVO commutauit in diuitias

æge-

ægeſtatis, ſed ſemetipſum; nam ſiue prius Iudex ab Epiſcopo Trecorenſi conſtitutus, ſiue poſteà abdicato Tribunali ſua ſponte pauperum patronus ſemper doctrinam, ingenium, vires, induſtriam ſe totum ita impendit, ac profudit in pauperes, vt nihil ſanè ſibi fecerit reliquum, ſe ipſo prorſus exinanitus. Iudex in tribunali ſedebat? Sed Iudiciarij laboris fructus non erant IVONIS lucra, ſed pauperum emolumenta. Quoties egeſtate preſsis nec potentibus ſuum ius perſequi ex indigentia pecuniæ, impenſas IVO ſuppeditauit de ſuo? Quoties miſeris hominibus, pecunia mulctandis ex Iuſtitiæ præſcripto, priùs IVO è ſinu ſuo multam erogauit, quam è tribunali mulctæ ſententiam proferret, vt permutatis IVONIANA Caritate rerum vicibus amabilius eſſet ab IVONE Iudice damnari, quam abſolui. Quod ſi Iudicis ſeueritas tantum miſeris patrocinabatur, quãtum Aduocati patrocinium ferueſcebat in pauperes? quidquid inerat in IVONE, vel naturæ præſtantia conſpicuum, vel induſtriæ contentione comparatum, vel fortunæ beneficio adiectum, vel diuina liberalitate profuſum, totum id egenorum defenſioni ſeruiebat, pauperum commodis impendebatur, vno verbo IVONIS omnia, IVONIS ſudor, totus IVO in calamitoſorum ſubſidia promanabant, vt veriſsimè dici poſsit IVO pauperrimus in ſuis diuitijs, Pauperes in IVONIS diuitijs locupletiſsimi.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE